



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

1. Fvrstenbergiacæ. Titlis. Arx Inlyta. Gentis Oldenbvrga. Tvvm. Qvæ.
Modo Nomen. Habet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

tareos incidit, calculum resolvit, & contumaces obstrunctiones rese-
rat, ac duros tumores emollit. Idem præstant illæ aquæ, quæ à mine-
ra pyritarum scaturiunt. Hæc ille de acidulis, & nos de mo-
numentis Paderbornensibus. Quæ benignus Lector, do-
nec universa historia Paderbornensis suo tempore lucem
aspiciat, promulgatis vice degustet velim, & æquo ani-
mo ferat, si alieno fortassis loco, familiæ Fürstenbergi-
æ memoria, è vicino Westphaliæ ducatu huc allata, Pader-
bornensibus monumentis subnecti videatur. Quanquam
haud aliena ab instituto nostro ejus familiæ mentio vide-
ri debet, quæ duos Episcopos ac Principes Paderbornen-
sibus dedit, quorum alter innumeris pietatis ac munificen-
tiæ operibus, alter his aliisque monumentis diceces in ex-
ornavit.

OLDENBURGA

IN MONTE FVRSTENBERG

Prima Baronum de Fürstenberg in Westphalia
ad Ruram sedes.

I. FVRSTENBERGIACÆ. TITVLIS. ARX
INCLYTA. GENTIS
OLDENBURGA. TVVM. QVÆ. MODO
NOMEN. HABET

Locus antiquæ arcis in monte *Fürstenberg*, quæ prima
Baronum *Fürstenbergiorum* in Westphalia ad Ruram sedes, si-
ve à vetustate, sive à prima *Oldenburgicoru* Comitum origine,
etiam

etiam nunc *Oldenburgha* appellatur, & ipsa trecentis jam annis eversi castelli rudera, ac veterum munitionum reliquiae miram hodie spirant dignitatem. | Commendarunt hanc olim præter amplitudinem plurima alia decora, in quibus facile primas tenet situs, ad omnem belli rationem, & Westphaliae limites ab injuria, maleficioque finitimorum Arensbergensium, & Marcanorum Comitum defendendos opportunus. Occupabat crepidinem montis, quæ is & maxime arduum habet ascensum, & magno ad munitionem momento, infra Nehemium, proximum Arensbergensis ditionis oppidum, Rura flumine alluitur. Ab lateribus, præruptis vallibus, quarum alteram rivus Oldenburgicus dictus interfluit, è regione montis, profunda atq; ingenti fossa munitur è vivo excisa scopulo. Ipse jugi vertex olim triplici firmissimo vallo contra omnes hostium infidias coronatus stetit, in cuius medio vetus facellum, hodie impensis Ferdinandi Episcopi & Principis Paderbornensis restitutum, spectatur, Fürstenbergijs quondam inter arma etiam cultæ religionis illustre monumentum. In semirutis aggeribus longa annorum serie altissimæ excreverunt nunc quercus, quibus praecustodia additos fuisse muros, sat demonstrant cæmenta & lapides, magno inde numero patrum adhuc memoria in novi cujusdam ædificij usum egesti.

**2. SIVE. LOCI. DECVS. ANTIQVM. SEV
NOMINE. PRIMOS
INDICAT. HOC. ALTÆ. NOBILITATIS
AVOS**

De *Fürstenbergiorum Baronum* ducta ex *Oldenburgicis Comitibus* origine, generatim ita loquitur *Ioannes Horrion Soc. Iesu* in *Panegyrico Paderb.* lib. 3. cap. 2. *Non desunt, inquit,*